

**An confide-
ratio vocis
sit Logica?**

Quatenus ad mentem refertur, est illius index & character. Ita consideratur in Physiognomicis. Quatenus refertur ad conversationem, ferit vel mentem, vel cor illorum, quibuscum conversamur. Hinc Philosophus 1. polit. cap. 2. probat, hominem naturâ esse animal πολιτικόν, quia naturâ habeat usum sermonis, qui sit κτηνωπίας ὄργανον. Jam si feriat vox articulata mentem, consideratur vel ut technologema ad purè loquendum necessarium, vel ut technologema ad benè disferendum faciens. Si feriat cor, consideratur ut technologema ad ornatè dicendum necessarium. Primo modo vox subicitur operæ Grammatices; secundo modo pertinet ad Logicam, non primariò, sed secundariò; tertio modo Rhetorica sibi adscribit vocis tractationem.

Vocis considerantur affectiones, & divisiones. Affectiones vocis sunt perspicuitas, & adæquatio.

Illa est necessaria, hæc honoraria.

Perspicuitas est, per quam vox apta est ad significandum animo quod debet: & aliàs dicitur rotunditas sermonis.

**Perspicuitas
vocis est
duplex.**

Perspicuitas est prima virtus vocis, quæ est aptitudo illius ad celeriter & ἐν ἀσκέπῳ χρόνῳ, ut loquitur Philosophus, repræsentandum rem, cui imposita est. Itaque vox obscura æquivocè dicitur vox. Objicis, hanc non esse proprietatem vocis, eò quòd vox ambigua non possit esse perspicua. Resp. Vox ambigua est distinguenda, & hâc ratione ipsa est perspicua. Cæterùm perspicuitas est duplex, αἰσθητικὴ & νοητικὴ. Illa est sensualis, & spectatur ab oratore & poëtâ in tropis, nominatim in metaphoris illustribus. Ista est intellectus, & à Logico spectatur, qui etiam admittit voces didacticas, docendi discendiq; causâ excogitatas, quales sunt entitas, quidditas, ratio formalis, ratio objectiva, esse formale & reale, esse cognitum seu objectivum seu intentionale.

Adæquatio est, per quam vox est adæquata rei significandæ: aliàs commensuratio vocis dicitur.

Hæc est altera virtus vocis, sed honoraria duntaxat. Non enim omnes voces possunt esse adæquatæ rebus suis. Ratio hujus